ac ditionibus nostris hereditarijs, quae de tali summo pastore sibi vehementer gratulantur, charitate complecti paternâ dignetur etiam atque etiam rogamus, Sti V. ita referenter nos nostraque omnia deferendo et commendando, quemadmodum Caesarem Christianum erga Pontificem maximum, Ecclesiae summum caput maximè deceat. Quod reliquum est praepotentem Deum rogamus, ut Stem Vram quàm diutissimè et quàm felicissimè nobis ac Reipublicae Christianae, cui immensam ipsius electio laetitiam adfert incolumem servet. Dat: Prag: 28. Sept: 1590.

164)

Collegio Cardinalium gratulatio de novo Pontifice Urbano VII.

Rudolphus &c.

Reverendmis &c. Quod literis nostris 7. Sept: proximè datis adeò solicitè pro rei, de qua agebatur, magnitudine, optamus, ut in demortui Pontificis locum talem ex amplissimo Vro ordine successorem sublegeretis, qualem et Ecclesiae ac Reipubl. universae postularet necessitas, id concordibus usque adeò suffragiis tam piè prudenterque ac feliciter à Paterbus V. Rmis praestitum, et quidem illum ab ipsis in ista sublimi dignitatis sede collocatum Ecclesiaeque gubernaculis adhibitum esse, qui tanto muneri gerendo, parem omnibus numeris virtutem adferat, est quod magnopere laetemur, est quod nobis ac vobis ipsis, quod orbi Christiano plurimum gratularemur, apud quem ea de Paterbus V. Rmis laus et opinio hâc electione magis ac magis confirmabitur, quod actiones ipsarum Divini spiritus instinctu et affectu regantur, administrentur, gubernentur. Ad literas porrò Dum V. Rrum die 28. Augt. datas, quibus summi Pastoris obitum et conceptum inde moerorem nobis significabant, quod amplius respondeamus, nihil aliud est, nisi libenter intellexisse nos tam novo ipsas solatio tam serio cogitasse, ut brevi luctus in gaudium verterentur, ut non magnum orbitatis, quod rebus praesentibus periculosum erat intervallum necteretur. De qua cura ac solicitudine Reipubl. tam salutari P. V. Rmas plurimum laudamus ipsisque benevolentiam nostram Caesaream ad quascunque occasiones libenter deferimus. Dat: 25. Sept: 1590.